

quam parochorum jurisdictioni ordinaria sit, et quoad officium essentialis et totalis, non tamen ejusmodi est, quæ immediate summi pontificis et superiorum præ-sutum jurisdictioni minime sit subjecta, ita ut ab ipsis nequeat coarctari ad populi christiani disciplinam et religionem conservandam, cujus cura primario romano pontifici, et sub ipso episcopis, et dein parochis concedita est.

Quoniam de ministro pœnitentiæ verba fecimus, non abs re esse putamus verba subjicere Magni Gregorii quibus animarum pastorem instruit qua ratione erga peccatores ad se confugientes se gerat: *Necesse est, inquit, ut cum peccati vulnus in subditis corrigendo restringitur, magna se sollicitudine etiam districtio ipsa moderetur: quatenus sic jura disciplinæ contra delinquentes exercent, ut pietatis viscera non amittat. Curandum quippe est, ut rectorem subditis, et matrem pietas, et patrem exhibeat disciplina... Miscenda ergo est lenitas cum severitate; faciendum quoddam ex utroque temperamentum: ut neque multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate solvantur. Quod juxta Pauli vocem bene illa tabernaculi Arca significat, in qua cum tabulis virga simul et manna est: quia cum Scripturæ sacræ scientia in boni rectoris pectore, si est virga districtiōnis, sit et manna dulcedinis. Hinc David ait: Virga tua et baculus tuus, ipsa me consolata sunt. Virga enim percutimur, baculo sustentamur. Si ergo est districtio virgæ quæ feriat, sit et consolatio baculi quæ sustentet. Sit itaque amor, sed non emolliens: sit vigor, sed non exasperans: sit zelus, sed non immoderate sæviens: sit pietas, sed non plusquam expedit, parcens (1).* Hæc quidem ad animarum pastores s. Gregorius: s. Pacianus vero sic peccatores ipsos alloquitur: *Nec*

(1) *regulæ pastoral.* p. 2. cap. 6. ed. Maur. Tom. II. p. 25.

quisquam adeo peccatricis animæ vilitate desperet, ut se jam non necessarium Deo credat. Neminem nostrum perire vult Dominus, etiam modici et minimi requiruntur. Si non creditis, intuemini, ecce in Evangelio drachma requiritur, et vicinis inventa monstratur ovicula, suppositis reportanda cervicibus, non est onerosa pastori. Super unum peccatorem pœnitentiam agentem in cælis Angeli gaudent, et chorus celestis exultat. Heus tu peccator, rogare ne desinas: vide ubi de tuo reditu gaudeatur (1).

(1) *Parænesis sive exhortatio ad pœnit.* in Biblioth. PP. De la Bigne Paris. 1589. tom. II. p. 457.

Hæc sanctorum patrum documenta in animabus edocendis regendisque non sine ingenti fructu consecutus est hac fere ætate B. Alphonsus Maria de Liguori in tot libris quos in hunc finem scripsit. In his porro libris qui vel morale Theologiam vel ascetism explant, s. Sedes iteratis decretis nil censura dignum contineri declarat. Cum tamen nonnemo etiam post ejusmodi decreta dubius hæreret utrum confessarii tuto doctissimi æque ac sanctissimi auctoris sententiis in praxi acquiescere possent necne in administratione sacramenti pœnitentiæ, p. s. Card. de Rohan-Chabot Archiepisc. Vesuntinus an. 1851. hæc dubia sacræ Pœnitentiariæ proposuit, nempe « 1. Utrum sacræ Theologiæ professor opiniones, quas in sua theologia morali proficitur B. Alphonsus Maria de Liguori, tuto sequi ac profiteri possit? 2. An sit inquietandus confessarius, qui omnes B. Alphonsi Mariæ de Liguori sequitur opiniones in praxi sacræ pœnitentiæ tribunalis, hæc sola ratione, quod a s. Sede Apostolica nihil in ejus operibus censura dignum repertum fuerit? Eadem sacræ Pœnitentiariæ die 5. Julii 1851. respondit ut sequitur. Ad 1. *Affirmative*; quin tamen inde reprehendendi censeantur, qui opiniones ab aliis probatis auctoribus traditas sequuntur. Ad 2. *Negative*; habita ratione mentis s. Sedis circa approbationem scriptorum servorum Dei ad effectum canonizationis. »

Quare non admodum eorum obtemperantia mihi videtur commendanda, qui adhuc pergunt tanquam minus tulam insectari doctrinam sanctissimi ac doctissimi viri, qui ut loquitur Pius VII. s. m. in decreto *in tuto* etc. dato 12. Kal. Januar. 1815. « Apostolo dignas virtutes quasi jubar emisit, cum voce et scripto in media seculi nocte errantibus viam ostendit, qua eruli de potestate tenebrarum transire possent in Dei lumen et gloriam. » Cf. aureum opus. *Riflessioni sopra l'esimta santità e dottrina del B. Alfonso Maria de Liguori.* Reggio 1825.

## TRACTATUS DE INDULGENTIIS.

### Proœmium.

Per pœnitentiæ sacramentum culpam nobis ac pœnam æternam remitti, nec tamen semper condonari totam pœnam temporalem peccatis nostris debitam in superiori tractatu ostendimus. Verum enim vero cum satisfactiones quas Deo persolvimus adeo exiguæ sint atque a gravitate noxarum adæquanda longissime distent, Deus qui est misericordiarum pater luic insufficientiæ providit, facta Ecclesiæ potestate indulgentias largiendi in supplementum ac subsidium pœnitentiæ nostræ.

De his indulgentiis dicere in præsentia aggredimur tum adversus montanistas, waldenses ac wicleffitas, tum adversus protestantes. Notum est istorum parcu-

tem, Lutherum, ex harum in Germania publicatione insurgendi adversus Ecclesiam occasionem nactum esse; hujus furorem Calvinus imitatus, mirum est quot in indulgentias dicteria evomerit (1). Ii porro ipsam facultatem concedendi indulgentias earumque utilitatem inficiati sunt una cum asseclis suis: Jansenistæ autem ac neoterici non pauci germanam earum

(1) *In. inst.* lib. III. cap. 5. § 2. parum ei fuit vocare indulgentias *sordes, imposturas, furta, rapacitates*, aliisque probris ac contumeliis afflicere, sed præterea eas describere contendens: « Sunt autem illæ (indulgentiæ), inquit, sanguinis Christi profanatio, Satanæque ludibrium, quo christianum populum a Dei gratia, a vita quæ est in Christo, abducant et a vera salutis via avertant. »

notionem temerantur. Adversus utrosque propterea catholicæ ac sinceræ doctrinæ de indulgentiis vindicias sumere cogimur, ut absoluta evadat hæc commentatio.

Est autem indulgentia: « Remissio pœnæ temporalis adhuc post absolutionem sacramentalem peccatis debite, in foro interno coram Deo valida, facta per applicationem thesauri Ecclesiæ a superiore legitimo. » Cujus definitionis si verba perpendantur singula, patebit 1. quænam sit vera ac præcipua indulgentiæ natura ac notio, quæ versatur solum circa pœnam temporalem peccatis nostris debitam extra forum conscientie remittendam, suppositis debitis dispositionibus in subjecto, et debita auctoritate in conferente; 2. ejusmodi pœnæ remissionem non excludere satisfactiones nostras, sed eas supponere, ideoque indulgentiam spectari debere veluti supplementum satisfactionum nostrarum, saltem sacramentalium, earumque ad quas nos excitat ipsa interior animi dispositio quæ inest sinceræ conversioni (1); 3. non esse indulgentiam simplicem canonicæ pœnitentiæ relaxationem in foro duntaxat externo validam, verum etiam in foro interno et coram Deo, seu esse remissionem partialem aut totalem illius satisfactionis quam ob patratas culpas sive in hac, sive in altera vita persolvere divinæ justitiæ tenemur; 4. non solum turpiter errasse waldenses, wicleffitas, lutheranos et calvinistas, aliosque qui ab istis orti sunt facultatem Ecclesiæ a Christo datam esse concedendi indulgentias denegantes, sed et eum iisdem hæreticis graviter lapsos esse jansenistas, pistorienses, nonnullosque scriptores neotericos tum circa indulgentiarum notionem, dum eas coarctant ad solam pœni-

(1) Talem esse Ecclesiæ mentem in indulgentiarum largitione constat ex lib. I. epist. XXXIV. s. Gregorii VII. qui Remigio episcopo plenariam indulgentiam exposcenti rescripsit « Absolutionem peccatorum tuorum, sicut rogasti, auctoritate Principis apostolorum tibi mittere, dignum duximus; si tamen, bonis operibus inhaerendo, commissos excessus plangendo, quantum valueris, corporis tui habitaculum Deo mundum templum exhibueris. » Card. Baronius ad an. 1075. n. 71. postquam eam sententiam exposuit; « Ut appareat, inquit, Sedis apostolicæ indulgentias illis communicari, qui quantum suppetunt vires, bene operari non prætermittunt: non autem ignavis, otiosis, ac negligentibus torpescunt. » Nec vacat alias ad id conficiendum congerere auctoritates, cum unanimes theologi in ea sententia sint. Ne tamen præstitutos limites prætergrediamur juverit hic exscribere quæ habet Bened. XIV. *Inst.* LIII. « Card. Cajetanus ad obtinendam indulgentiam censuit non modo præscriptis operibus satisfaciendum, sed etiam necessario deliberandum, salutaris pœnitentiæ criminum labe peculiariter expiare. Card. Cajetanum Navarrus quoque sequitur; licet alii plures eam sententiam nequam probent; et nos ipsi, quibus opinionum novitas displicet, illam pariter omittamus. Nullum quippe diplomæ pontificiæ pro concedendis indulgentiis unquam vidimus, in quo ea singularis conditio præferatur. Singulis tamen card. Bellarmini doctrinam proponendam ducimus: *Accipiant prudentes christiani indulgentias, ut simul etiam student dignos pœnitentiæ fructus facere.* Illam card. Pallavicinus cum de usu indulgentiarum sermonem habet his verbis explicat: *Neque sane fideles indulgentiarum causa negligentes sunt, ut pro expurgandis criminibus alia pietatis opera Deo minime persolvant. Cum enim incipites sint utrum reipsa indulgentiam sibi meruerint, stimulo quodam incitantur, ut pro cælesti hoc thesauro tutius comparando varias salutares pœnitentiæ rationes aggrediantur; ex diu parte injuncta pietatis opera, si fiant, studium religionis adaugent. »*

entiæ canonicæ relaxationem; tum circa thesaurum Ecclesiæ quem veluti scholasticorum commentum traducunt; tum circa indulgentiarum valcrem quoad animas defunctorum, quem nullum esse autumant; 5. denique ex eadem definitione patebit quo loco haberi debeant tot illæ hæreticorum atque incredulorum calumnie et scommata quibus etiamnum indulgentias, earumque dispensationem insectantur tanquam omnium moralitatis, ut aiunt, eversivas, quæque omnem peccandi licentiam tribuant; quidque sentiendum sit de indulgentiis illis quas passim plene ore protestantes per anticipationem dari in Ecclesia romana adhuc effutiunt (1).

Hæc summa doctrinæ catholicæ est circa indulgentias, cui vindicandæ operam navare constituimus. Ne tamen in hac satis difficili discussione ea quæ fidei sunt permisceamus aut cum iis, quæ tantum sunt fidei proxima, aut cum iis, quæ libere in scholis catholicis agitantur, juverit alia ab aliis accurate secernere.

Duo itaque in iis quæ ad indulgentias pertinent de fide sunt, ac 1. potestatem esse in Ecclesia concedendi indulgentias divinitus ei traditam; 2. indulgentiarum usum christiano populo maxime salutarem esse.

Fidei vero proximum est 1. fidelibus per indulgentias relaxari pœnas pro peccatis remissis Deo debitas; 2. has item indulgentias applicari posse animabus in purgatorio detentis, seu valere per modum suffragii quoad animas defunctorum; 3. dari præterea in Ecclesia thesaurum, seu collectionem meritorum seu satisfactionum Christi, sanctorum ac electorum omnium, cujus dispensatio ad eandem Ecclesiam et romanum pontificem, necnon ad episcopos singulos pro diversa ratione pertinet (2).

Quod vero spectat ad interiores animi dispositiones suscipientium, ad indulgentias speciales earumque fructum, ad applicationis modum, aliaque non pauca, intra scholarum septa continentur hæc omnia, quæ unusquisque majori minorive probabilitate tuerit.

Nostrum igitur erit primo adversus heterodoxos fidei dogmata propugnare; deinde germanam doctrinam catholicam vindicare adversus jansenistas

(1) Ut specimen aliquod exhibeam de antiquis judiciis quibus plerique protestantes laborant circa doctrinam catholicam de indulgentiis, non equidem alienum aliquem, sed hominem protestantem testem dabo, qui in *Revisione Britannica* tom. II. an. 1820. p. 101 seq. scribit, « Angli etiam doctiores in deploranda versantur ignorantia dogmatum christianæ religionis, ex. gr., nemo fere unius invenitur, incipiendo a poeta laureato (Southey) usque ad infimum parocis clericum, qui fidem non præstet indulgentiis per anticipationem. Attamen non solum non conceduntur ejusmodi indulgentiæ, sed vetitæ præterea sunt et proscrip-tæ veluti contrariæ principis fundamentalibus Ecclesiæ Romanæ. » Qui deinde ibidem subjicit anædoton quoddam suum de colloquio circa confessionem cum matrona romana habito cum Romæ versaretur, ut ostendat nullam a catholicis, imo et sacrilegam eam confessionem censeri, quæ absque sinceræ conversionis proposito peragatur.

(2) Cf. Veroniam *regulæ Fidei* cap. 2. § 4. Bossuet *Exposition de la doctrine de l'Eglise cath.* § 8. Petrum Balerinum *Prælectio III.* in 1. p. *Summæ Theologicæ*. s. Antonii, quæ est de indulgentiis cap. 1. § 2. opp. s. Antonii edit. Veron. 1710. Paræ 1.

eorumque asseclas; tertio demum nonnulla adijcere scholia ad ea quae adhuc circa indulgentias illustranda supersunt juxta verisimiliores probatissimorum scriptorum sententias.

PROPOSITIO I. — Est in Ecclesia potestas a Christo concessa conferendi indulgentias, earumque usus est Christiano populo maxime salutaris.

Utraque propositionis pars, uti innuimus, de fide est; expresse enim concilium Tridentinum sess. XXV. in decreto de indulgentiis hæc habet: « Cum potestas conferendi indulgentias a Christo Ecclesiae concessa sit, atque hujusmodi potestate, divinitus sibi tradita, antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit, sacrosancta Synodus indulgentiarum usum christiano populo maxime salutarem, et sacrorum conciliorum auctoritate probatum, in Ecclesia retinendum esse docet et præcipit, eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant; » atque in fidei catholice professione a Pio IV. edita fidelis quilibet profiteri tenetur « indulgentiarum potestatem a Christo in Ecclesia relictam esse, illarumque usum christiano populo maxime salutarem esse. »

Atque ut a priori propositionis parte exordiamur, Christum hanc facultatem Ecclesie reliquisse relaxandi poenas temporales peccatis nostris debitas tum sacrae litteræ, tum perpetua et constans ejusdem Ecclesie praxis luculentissime evincunt; Matth. enim XVI. 19. ait Christus Petro: « Tibi dabo claves regni cælorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælis: et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cælis; » rursum ibid. XVIII. 18. ita apostolos omnes affatur: « Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cælo; et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cælo. » Unde sic: si Christi verba in amplissima sua significatione accipiantur, non solum solutionem a culpa et poena æterna significant, verum etiam a poena temporali, quæ culpa et poena æterna dimissis, luenda superest. Jam vero ad solam culpæ ac poenæ æternæ solutionem coarctari debere Christi verba nunquam evincunt adversarii. Nam hæc circumscriptio sive coarctatio neque ex verbis ipsis, neque ex orationis serie, neque ex aliis Scripturæ locis colligi potest, cum verba et contextus cuilibet restrictioni repugnent, neque ulla queant loca Scripturarum proferrî quæ limitationem potestatis inducant. Sed neque ex traditione aut sensu Ecclesie ejusmodi limitatio erui potest, cujus potius auctoritas et praxis contrarium evincunt, ut mox ostendemus; neque denique ex ratione, quæ nullam in hac concessione invenit repugnantiam, cum a sola Dei voluntate ea pendeat; quin imo omnis juris regulæ clamant, etiamsi verba dubia essent, cum agatur de favore, in amplissima significatione esse intelligenda, multo vero magis, si clarissima verba illa sint, prout sunt verba Christi.

Ergo.

Insuper: qui ab alio domus claves accepit eo fine

ut in domum quempiam admittat, hoc ipso facultatem accepit citius aut serius eum in domum introducendi, obstacula si quæ sint tollendo, quæ ab ejus ingressu impediunt. Talis porro est potestas quam per clavium metaphoram apostolis contulit Christus; ast inter cetera impedimenta quæ fidelibus moram injiciunt ingrediendi regnum cælorum, est etiam poenæ temporalis reatus, ergo et hunc tollendi facultatem per clavium traditionem Christus apostolis contulit.

Demum tam late patet significatio vocis solvend., quam patet vox ligandi in adductis Christi verbis; sed vox ligandi sese extendit etiam ad poenas temporales satisfactorias injungendas, ergo et vox solvendi, ut perfecta antithesis subsistat, protendi debet ad harum poenarum remissionem.

Quare apostolus ejusmodi amplissima facultate præditus, tum incestuosum Corinthium I. Cor. V. 4. 5. judicavit « eum virtute Domini nostri Jesu tradere Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini N. J. C. »: (1) tum anno vix expleto, impositam poenitentiam, quæcumque demum ea fuerit (2), eidem relaxavit rescribens II. Cor. II. 6. « Sufficit illi objurgatio hæc quæ fit à pluribus, ita ut e contrario magis donetis et consolemini. . . . Nam et ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi. » (3) De poenitentia sane condonationem hunc locum intellexerunt s. Joan. Chrysostomus, Theophylactus, Theodoretus et Oecumenius ex Græcis, et s. Ambrosius ac s. Pacianus inter Latinos (4).

Hac eadem facultate instructa Ecclesia perpetuo ea usa est ac in praxim eam deduxit; ac 1. quidem cum ab episcopis aut presbyteris in capite quadragesimæ sacramentaliter absolutos feria V. in cœna Domini ab ulteriori poena episcopi absoluebant, quem usum per X. circiter priora Ecclesie secula viguisse certissimis documentis constat (5). Sane ad hunc usum alludunt s. Ambrosius (6), Leo M. (7), necnon concilia Carthaginense IV. (8) et Aga-

(1) Ἐν τῇ δυνάμει τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ παραδόναι τὸν τοιοῦτον τῷ Σατανᾷ εἰς ἐπίθρον τῆς σαρκός, ἵνα τὸ πνεῦμα σωθῆ ἐν τῇ ἡμέρᾳ τοῦ κυρίου Ἰησοῦ.

(2) Alii enim verba Apostoli Tradere Satanæ in interitum carnis exponunt de demonis vexatione, aut morbi afflictione, ut veteres Græci plerique; alii de excommunicatione ut fere omnes Latini. Cf. Estium comment. in hunc loc. et Bernard. a Picconio.

(3) Ἰεσὺν τῷ τοιοῦτῳ ἢ ἑπιτίμια αὐτῇ ἢ ὑπὸ τῶν πλειόνων. ἴσται τοῖναυτιοὶ μᾶλλον ἢ μὴς χαρίζονται καὶ παρακαλεῖται. . . . Καὶ τὰς τῶν ὀκταήκοντα, εἰ τι κηρύσσεται, δὲ ἡμῶν, ἐν προσώπῳ Χριστοῦ.

(4) Apud citl. auct. in utrumque Apostoli locum, necnon Morinum lib. vi. de poenitent. cap. 11. § 2. seqq. ubi copiose ostendit quid sit tradi Satanæ in interitum carnis ex antiqua et continua Ecclesie traditione.

(5) Cf. Euseb. Amort. can. regul. De origine, progressu valore ac fructu indulgentiarum. Augustæ Viend. 1733. Part. I. Dissert. Prælim. Apologetica pro indulgentiis § 2.

(6) Lib. I. de poenit. cap. 13. et 16. cf. annotatt. edit. Maur. in hæc capita.

(7) Serm. X. de quadrag. cap. 4. item Serm. 11, cap. 4. et alibi passim. edit. Ballerin.

(8) Can. LXXX. apud Harduin. Acta concil. tom. I. col. 983. Celebratum est hoc concil. an. 598.

tiense (1) ac de eo expresse loquitur Ordo romanus (2) ut plura alia indubia monumenta præteream, ex quibus præterea constat a sacerdotibus manus impositas fuisse poenitentibus quovis alio tempore.

Deinde hac eadem potestate antiquitus Ecclesia usa est, cum ad preces martyrum episcopi in idololatricam lapsis aliisque publicis peccatoribus constitutam poenam seu satisfactionem vel ex toto vel ex parte relaxabant, ita ut hæc relaxatio seu remissio valeret coram Deo. De hac praxi testis est Tertullianus (3), nec non s. Cyprianus tum in libro de lapsis, tum in pluribus epistolis, in quibus nimiam interdum facilitatem hæc poenas condonandi acriter insectatur (4).

Tertio denique hac usa est Ecclesia facultate cum in concilio Nicæno I. potestatem episcopis fecit benignius agendi cum poenitentibus, atque ita can. XII statuit: « Licebit episcopo de his aliquid humanius cogitare » (5). Ante concilium Nicænum idipsum jam constituerat concilium Ancyranum can. V. (6) et paulo post Nicænum conc. Laodicence can. II. (Ibid. col. 782). ut subsequencia alia concilia omittamus. Seculis enim quæ inde secuta sunt praxim hanc obtinuisse adversarii nostri fatentur.

Tum igitur ex Scriptura et patribus, tum ex perpetuo et constanti Ecclesie sensu ac praxi constat indulgentias concedendi potestatem a Christo Ecclesie fuisse relictam.

Utiles porro ac maxime salutare populo christiano ejusmodi poenæ relaxationes seu indulgentias esse ex dictis consequens est. Nequit enim non esse utile ac maxime salutare populo christiano id quod Christus Ecclesie suæ dispensandum commisit, et Ecclesia juxta traditam sibi a Christo potestatem quovis tem-

(1) Celebrat. an. 306. can. XV. apud Hard. tom. n. col. 999.

(2) In Biblioth. maxima PP. Lugdun. 1677. tom. XII. p. 699. ubi sub tit. Ordo in quarta feria quadragesimæ, quæ est in capite jejunii legitur: « In prima premonere debet sacerdos omnes christianos . . . quatenus in capite jejunii ad veram confessionem veramque poenitentiam festinantius accedant. Denique admonendi sunt ut in cœna Domini redeant ad reconciliationem. » Prescribitur ibidem discretio servanda in poenitentis injungendis, et methodus exhibetur confessionis faciendæ, atque absolutionis formula.

(3) In lib. ad martyres cap. 1. adhuc catholicus scribebat: « Quam pacem quidam in Ecclesia non habentes, a martyribus in carcere exorare consueverunt. » Edit. Rig. Cf. adnot. in h. l. Hanc porro consuetudinem, ut mox videbimus, idem Tertullianus Montanista effectus vehementer damnat.

(4) Sic enim inter cetera scribit s. Cypr. ep. X. ad Martyres et Confessores « Intelligentes et comprimentes eos qui personas accipientes in beneficiis vestris aut gratificantur, aut illicitæ negotiationis nundinas aucupantur. (En quam mature irrepserint in Ecclesia circa indulgentias abusus). . . . Sed et illud ad diligentiam vestram redigere et emendare debetis, ut nominatim designetis eos quibus dari pacem desideratis. . . . Peto ut eos, quos ipsi videtis, quos nostis, quorum poenitentiam satisfactioni proximam conspiciatis, designetis nominatim libello, et sic ad nos fidei et disciplinæ congruentes litteras dirigatis. » Eadem ferme scribit ep. XI. et alibi passim.

(5) Ex vers. Dionys. Exigui apud Hard. Acta conc. tom. I. col. 530.

(6) Sic enim dicitur: « Penes autem episcopos erit potestas modum conversationis eorum (poenitentium), probantes vel humanius erga eos agere, vel amplius tempus adjicere » Ibid. col. 274.

pore in fidelium commolium dispensavit, quodque valde confert ad excitandum veræ poenitentiae spiritum, omniumque virtutum studium, atque ingens pro altera præsertim vita solamen animo ingerit: atqui tales sunt indulgentiæ, quæ non conceduntur nisi vere poenitentibus et plene contritis, quæque propterea non parum conferunt ad fidei, spei, charitatis, devotionis, omnisque pietatis augmentum (1), uti experientia aperte ostendit, nec pauci adversarii ac increduli non semel fassi sunt (2), quæ demum quod debitorum nostrorum reliquum est post sacramentales satisfactiones nostras vel ex toto vel magna ex parte expungunt.

DIFFICULTATES. I. Obj. adversus priorem propositionis partem 1. Verba Christi: Quodcumque solveris, quæcumque solveritis referuntur ad sacramentum poenitentiae 2. per quod solum uti et per alia sacramenta gratia conferri ab Ecclesia potest, nulla proinde ratione extendi possunt ea Christi effata ad potestatem largiendi indulgentias extra sacramentum. 3. Neque id melius conficitur ex facto incestuosi Corinthii, cui nullam Apostolus poenitentiam imposuerat quam propterea ei posset relaxare, sed cum ipsum excommunicasset, in communionem postea recepit. 4. Non enim ignorabat Apostolus se non posse dispensare a jure divino, cujusmodi in catholicorum hypothese sunt satisfactiones temporales post culpæ remissionem debitæ, 5. juxta illud Deut. XXV. 2. « Pro mensura peccati erit et plagarum modus. » 6. Et sane qua ratione posset romanus pontifex, vel episcopus solvere per indulgentias extra sacramentum, quod sacerdos jure divino, in quo nullum agnoscit superiorem, vi sacramenti ligasset? Ergo.

R. Ad 1. D. Ea Christi verba referuntur etiam ad sacramentum poenitentiae, C. solum N. Respiciunt enim collationem potestatis clavium quæcumque demum ratione exercendam sive per sacramentum, sive extra sacramentum, prout reipsa Ecclesia quovis tempore eam exercuit tum in ferendis censuris, tum in injungendis poenitentis, tum in absolutione ac relaxatione ab iisdem. Nihil proinde vetat quominus dicamus clavium potestatem et usum non solum ad culpæ, verum etiam ad poenæ remissionem sese porrigere (3).

Ad 2. D. Quam proinde gratiam Ecclesia per indulgentiarum largitionem non confert, C. confert N.

(1) Ita siquidem loquitur Clemens VI. in Bulla Jubilei quod indixit an. 1349. dum profitetur se indulgentias ad Romanorum preces concedere: « Ut istius populi et cætorum fidelium augeatur devotio, fides splendeat, spes vigeat, charitas vehementius incalcescat. » Apud Raynald. ad an. 1349. n. 11.

(2) Pluribus id ostendi posset incredulorum confessionibus. Verum satis hic nobis sit commemorare d'Alembert et Voltaire, qui ita in furorem sunt acti ex religiosa commotione quam in Parisiensibus excitavit jubileum quod concessum est Lutetiæ an. 1776. ut d'Alenbert illi maledixerit eo quod rebellionem quam pseudo-philosophi machinati fuerant, protraxerit ad an. 20. Voltaire vero professus sit actum esse de rebellionem, si unum adhuc jubileum celebratum esset.

(3) Cf. Bellarm. lib. II. de Indulgent. cap. 11. n. 2. seqq.

E catholicis nemo unquam docuit (Cf. *Bel-larm. Lib. II, de Indulg., cap. XII*).

Ad 3. N. Ad prob. D. Id est nulla determinata pœnitentiæ opera imposuerat, Tr. vel C. nullam omnino pœnitentiæ opera quibus se exerceret donec absolveretur ab excommunicatione cum pœnitentiâ conjuncta cui eum Apostolus subjecerat N. Contrarium enim affirmat Apostolus scribens I. Cor. V. 5. se eum tradidisse *Satanæ in interitum carnis*, quæ sane minima pœnitentiâ non erat (1). Ne autem abundantiori absorberetur tristitia, hujus publicæ pœnitentiæ tempus commiseratione commotus ac divina auctoritate fretus, in persona Christi per indulgentiam contraxit (2).

Ad 4. D. Non ignorabat Apostolus se non posse dispensare a jure divino, non accepta ad id a Christo facultate, C. hac facultate obtenta N. Eadem enim ratione potuit Apostolus dispensare a satisfactionibus jure divino debitibus, qua, facultate a Christo accepta, culpas remisit; sicut etiam quotidie remittit Ecclesia ipsas culpas, seu peccata quæ nemo potest dimittere nisi solus Deus, uti dicitur Marci II. 7.

Ad 5. D. In foro politico seu civili pro quo lex illa lata est, C. in foro ecclesiastico, Subd. Nisi facultate divinitus collata hæc plagæ remittantur, C. secus N.

Ad 6. Resp. id posse indirecte, tollendo videlicet debitum, seu pœnæ reatum, non autem directe irritando sententiam sacerdotis. Addo, saltem juxta præsentem praxim, neque rom. pontificem, neque episcoporum quempiam per indulgentias a satisfactione sacramentali peccatorem eximere (5), ideoque falso laborare supposito hanc expostulationem.

(1) Cf. Christ. Lupum, qui in *Dissert. de peccatorum et satisfactionum indulgentiis* opp. edit. Ven. 1726. tom. vi. cap. 5. auctoritate s. Cypriani fretus censet hanc pœnitentiâ præscriptam ac determinatam fuisse non a solo episcopo et clero, verum etiam a cunctis laicis, cum agatur de pœnitentiâ publica; verum id intelligi debet, ut vulgo dicitur, in sensu accommodo, ita ut episcopus et clerus ex auctoritate, seu potestate a Christo accepta per illa verba: *quæcumque ligaveritis*, etc. eam pœnitentiâ indixerint, laici vero ex quadam conventiva pastorum, seu etiam eorum consensu cum pastoribus. Eadem ratione Apostolus laicos etiam comprehendit II. Cor. II. cum agit de condonatione, ita tamen ut pastores ex potestate sibi a Christo collata condonaverint pœnitentiâ, ceteri vero fideles una cum præfectis pariter condonaverint, ast suo modo, nempe consensu, desiderio, commiseratione et precibus ad Deum fuis pro fratre peccatore.

(2) Apposite Estius *comment.* in II. ep. ad Cor. v. 11. « Fit autem illud (relaxatio pœnitentiæ), inquit, dum per indulgentiam matris Ecclesiæ, post aliquantam satisfactionem, pœnitentibus relaxatur ac remittitur quod reliquum erat pœnæ debitæ. Quam pœnæ relaxationem manifestius etiam declarat illud præcedens *sufficit illi*: quasi dicat: satis jam pœnarum dedit, reliquum ei condonetur. Hoc enim est quod sequitur: *ita ut e contrario magis donetis*; veluti si sote quopiam per sententiam judicis ad quadraginta plagas condemnato, post tricesimam plagam dicat iudex: *sufficit, aut, satis est*: non quod sententiæ sit satisfactum, sed quia vult uti clementia, reliquum plagarum numerum ei gratiose remittens. »

(5) Dixi: *saltem juxta præsentem praxim*. Interdum enim morem obtinuisse ut indulgentia etiam conferretur ad relaxandam pœnitentiâ sacramentalem colligitur ex his, quæ scribit Morinus *de pœnitent.* lib. x. cap. 22. § 10. et 11. Certe, adversarii fatentibus, satisfactiones quas olim fideles exhibebant antequam absolverentur quasque ipsi vel episcopi vel presbyteri injungebant cum eis pœnitentiâ dabant, erant sacramentales, attamen hæc ipsas satisfactiones per indulgentiam episcopi relaxa-

II. Obj. adversus alteram propos. partem. 1. Indulgentiarum existentia conciliari nequit cum ullo sanæ ethices, seu, ut aiunt, moralitatis principio. 2. Quamvis enim ut minimum abusivæ spectatæ fuerint indulgentiæ quæ conceduntur per alicujus injuncti pii operis executionem, quis in animum inducat suum, quod aliquis levissimis actibus exterioribus, e. g. osculo impresso eruci quæ in amphitheatro Flavio erecta est, possit lucrari singulis vicibus dies ducentos indulgentiæ? Aut lucrari quispiam possit tanta facilitate indulgentias plenarias quibus Ecclesiæ in Italia passim redundant? 3. Quomodo hæc conciliari queunt cum Dei justitia, vel cum ipsius misericordia relate præsertim ad eos quibus adeo acerba punitio reservata est, eo quod ratione aut loci aut temporis aliorumque adjunctorum mediis adeo facilibus ad eas lucrandas destituti fuerint (1)? Ergo.

R. ad 1. N. Siquidem apprimè conciliatur cum omnibus sanæ ethices principiis indulgentiarum existentia, dummodo vera ac germana teneatur indulgentiæ notio quam ab initio dedimus. Hæc enim in primis supponit obligationem satisfactionis sacramentalis in eo qui eam lucrari intendit, peccatorum contritionem, pœnitentiæ omniumque virtutum studium, et statum gratiæ seu sanctitatis. Nisi proinde vera præcesserit cordis conversio quæ involvit desiderium, saltem ex pœnitentiæ virtute, satisfaciendi quantum in se est divinæ justitiæ ob scelera admissa, frustra quis indulgentiam se adeptum esse existimaret (2).

Ad 2. D. Spectatis illis actibus in se absque interioribus necessariis dispositionibus quas recensuimus, Tr. vel C. una cum illis dispositionibus N. Ejusmodi enim actus, quos exteriores adversarii vocant, nunquam sejungi possunt aut debent ab interioribus dispositionibus quas ipsa indulgentiarum natura postulat et expresse exigunt qui indulgentias largiuntur.

bant. Hæc animadversio peculiarem vim habet adversus jansenistas, qui contendunt olim *semper* satisfactionem præire consuevisse absolutioni. Ex quo etiam colligitur ratione prorsus ineluctabili indulgentiam esse remissionem pœnæ temporalis coram Deo validæ, uti sequenti propositione ostendemus, ita tamen ut hæc relaxatio coram Deo effectum non obtineret nisi post remissam culpam per sacramentalem absolutionem.

(1) Ita Sismondi, *Hist. des Républ. Ital.*, t. xxi. ch. 127. p. 417.

(2) Optime Massillon in *Mandement pour la publication du Jubilé*, 15. Nov. 1721., « Ne nous flattons point, inquit, que nos fautes soient expiées si elles n'ont pas été détestées; ne croyons pas que les grâces de l'Eglise nous aient purifiés, si elles ne nous ont pas changés, ne comptons sur son indulgence qu'autant que nous pouvons compter sur un sincère repentir. » Et Bossuet pariter in *Instructions nécessaires pour le Jubilé*, art. I. « Mais il se faut, scribit, bien garder de s'imaginer que l'intention de l'Eglise soit de nous décharger par l'indulgence de l'obligation de satisfaire à Dieu; au contraire l'esprit de l'Eglise est de nous accorder l'indulgence qu'à ceux qui se mettent en devoir de satisfaire de leur côté à la justice divine, autant que l'infirmité humaine le permet: et l'indulgence ne laisse pas de nous être fort nécessaire en cet état, puisqu'ayant, comme nous avons, tant sujet de croire, que nous sommes bien éloignés d'avoir satisfait selon nos obligations, nous serions trop ennemis de nous-mêmes, si nous n'avions recourus aux grâces et à l'indulgence de l'Eglise. » Hæc tamen intelligi debent juxta ea, quæ ex Benedicto XIV. paulo ante attulimus.

illis autem positis levitas seu potius facilitas operis injuncti est tandem quædam quasi illecebra, qua fideles adducantur ad eas dispositiones sibi comparandas, ut ipsa experientia ostendit.

Ceterum hic obiter observamus 4. adversarios qui nobis exprobrant indulgentiarum excessum veluti contrarium principiis moralitatis splendidum præbere testimonium doctrinæ catholicæ circa necessitatem satisfactionis, cujus indulgentia non est nisi diminutio quædam; 2. non posse eosdem nobis hunc excessum objicere, quin totum evertant protestantismi seu reformationis principium de sola fide justificante absque bonorum operum necessitate; 3. vel amplissimam indulgentiam concessam ob injunctum vel minimum pietatis opus optime conciliari cum moralitatis principiis; Dei enim justitia conciliatur cum pœnarum remissione obtenta sub conditionibus a nobis recensitis. 4. Animadvertimus demum indulgentiarum excessum, si forte sit aliquis, non rem ipsam impetere, sed modum tantum seu facilitatem eas concedendi, qua fit ut disciplina enervetur (1). Omissis porro veterum patrum, Cypriani præsertim, testimoniis quibus in nimiam facilitatem invehant, conciliorum œcumenicorum et romanorum pontificum sanctionibus quibus eam coæcenerunt, ita loquitur concilium Tridentinum sess. XXV. in Decreto de indulgentiis: « Sacrosancta synodus... in his (indulgentiis) tamen concedendis moderationem, juxta veterem et probatam in Ecclesia consuetudinem, adhiberi cupit; ne nimia facilitate ecclesiastica disciplina enervetur. »

Ad 5. Resp. facillime illa omnia conciliari si observetur 1. vix quemquam reperiri, qui mediis omnibus destitutus sit ad sacras indulgentias lucrandas; 2. posse divinam bonitatem supplere mediis interioribus extraordinariis defectui mediocri ordinariorum, cum aliquis sincero desiderio flagrat bonum aliquod adipiscendi supernaturali. Quis enim dubitat Deum posse aut uberiorem charitatem, aut intensiorem dolorem et contritionem his, qui ita

(1) Sismondi est protestans seu potius calvinianus genevensis, qui propterea proficitur dogma proprium suæ sectæ de inutilitate bonorum operum, præsertim vero satisfactionis peccatis debitæ. Hoc vero principio admissio, non solum via sternitur ad omnigenam impietatem, ut suo loco ostendimus, cum ageremus de justificatione in tract. de gratia, sed præterea os obstruitur omnibus protestantibus dum adversus indulgentias debacchantur. Quo enim jure ipsi insurgunt in Ecclesiam eo quod sub quibusdam conditionibus quæ complectuntur interiores animi dispositiones et pia opera externa, remittat partem, vel etiam totum quod reliquum superest illius pœnæ temporalis, cujus debitum ipsi omnino eliminant? Si logici esse amant, debent potius commendare miram hanc catholicæ doctrinæ œconomiam, qua fit ut retrahatur Christi fidelis ab excessibus in quos facile rueret absque pœnæ temporalis satisfactione, deinde alliciat ad respiciendam per veram conversionem si forte deliquerit. Hinc recte comes de Maistre in suis *soirées de saint-petersbourg*. tom. II. dix. entret., scribit: « Et quelle belle loi encore, que celle qui a mis deux conditions indispensables à toute indulgence, ou rédemption secondaire: mérite surabondant d'un côté, bonnes œuvres prescrites et pureté de conscience de l'autre! Sans l'œuvre méritoire, sans l'état de grâce, point de rémission par les mérites de l'innocence. Quelle noble émulation pour la vertu! Quel avertissement et quel encouragement pour le coupable! »

animo comparati sunt ac mediis externis sunt destituti, communicare?

Inst. Negari non potest indulgentias cedere in destructionem, non autem in ædificationem fidelium, 1. quia eos avertunt a pœnis consecrandis contra exemplum Christi et sanctorum; 2. quia eos inducunt ad satisfactionem alienam quærendam quin amplius solliciti sint piis operibus satisfacere ex propriis, quod est contra perfectionem; 3. quia eos revocant ab elemosynis, jejniis, orationibus frequentandis in quibus pœnitentiæ ac satisfactionis opera consistunt; 4. quia in ipsis negligentiam fovent in propriis peccatis expiandis, peccati horrorem minuant, spiritum pœnitentiæ extinguunt, facilemque ad peccatum reditum efficiunt. 5. Quis itaque sobrius indulgentiarum dispensationem non exeretur tanquam indignam Christi sanguinis profanationem; 6. tanquam medium a romanis pontificibus ad emungendas pecunias inventum, quæ in scorta, ut Calvinus loquitur, in lenones, in comestiones turpiter absumerentur (1); 7. tanquam petram scandali, quæ innumeris abusibus latissimum aditum aperuit, perinde ac si per eas absolutio plena concederetur a culpa et pœna, sicut non ita pridem indulgentiæ evulgabantur; 8. veluti demum totius redemptionis penitus eversivam (2)? 9. Sane indulgentiarum spe constat esse patrata delicta (5). Ergo.

R. N. A. ad 1. prob. D. Fideles avertunt a pœnis consecrandis, seu potius fideles liberant a pœnarum illarum debito quod ipse retardat a consecutione summi boni, C. a pœnis consecrandis quibus citius ac uberius ejusmodi bonum consequantur N. Porro, indulgentiæ, positis necessariis conditionibus ad eas lucrandas, fideles tantum liberant a pœnis peccato debitis e. quidem ex parte, uti exposuimus, non autem ab iis in quibus Christi patientis et sanctorum debent sectari vestigia.

Ad 2. D. In supplementum propriæ satisfactionis, præsertim sacramentalis, C. ad propriæ exclusionem N. Hoc enim nunquam docuit Ecclesia; nostrum itaque non secus ac perfectorum omnium est unum facere et aliud non omittere. Certe optimum esset illis non indigere (4).

Ad 5. N. juxta dicta, imo mirifice ad eas frequentandas nos provocant; sane nunquam magis quam jubilæi tempore publicæ supplicationes, orationes, elemosynæ, visitationes ad carceribus aut tremibus mancipatos, ac nosocomia, etc. frequentari solent (5).

(1) *Instil.* lib. III. cap. 5. § 1. seqq.

(2) Ita passim plenis buccis protestantes.

(5) Sic Melchior Gioja *Avviso Galateo*, lib. III. art. 2. cap. 9. ubi scribere non dubitavit: « Si commiserò dei delitti per la speranza delle promesse indulgentie. »

(4) Hinc legitur in vita s. Catharinæ Genuensis cap. 20. quod quamvis ipsa summo in pretio habuerit indulgentias plenarias, minus tamen videretur sollicita de iis lucrandis eo quod mallet per se divinæ justitiæ satisfacere. Contra vero s. Angela Mericia Romam se contulit sub Clemente VII ad lucrandam indulgentiam jubilæi.

(5) Sic testis oculatus describit mirabiles effectus quos Mediolani jubileum a Pio VI. concessum produxit: « Era veramente uno spettacolo edificante e tenerissimo il vedere affollate le chiese nel tempo degli esercizi; assediati i tri-

Ad 4. N. iterum juxta præmissa. Valde siquidem indulgentiarum largitio nos provocat ad propria peccata detestanda, ut possimus tantum bonum nobis comparare. Sublinem prorsus divinæ justitiæ ideam in nobis indulgentiæ excitant, utpote quæ, remissa jam culpa, pœnas adhuc exposcat, quæ expiari non possunt nisi ingentibus laboribus, quibus omnibus persolvendis cum impares præ infirmitate sæpe in hac vita nos esse contingat, comitem sibi misericordiam adsciscit indulgendo nobis ut aliorum satisfactionibus debitum nostrum facilius extinguamus. Ad virtutis pietatisque æmulationem nos excitant, cum nemo possit alienarum ejusmodi satisfactionum particeps fieri nisi in statu gratiæ sit, et alterius sanctitatis, quoad ejus fieri potest, imitator (1).

Ad 5. N. Tantum enim abest ut indulgentiæ traduci possint, ut indigna Christi sanguinis profanatio, ut nihil sit quod ejusdem virtutem magis commendat. Ex his enim edocemur sanguinis pro nobis effusi vim sese porrigere usque ad pœnas per peccatum promeritas elucendas, ita tamen ut omni virtutum exercitio, sinceræ præsertim conversionis ope, ejusmodi vim satisfactoriam nobis applicemus.

Ad 6. N. Indulgentias medium esse a romanis pontificibus excogitatum absurda hæreticorum calumnia est, quæ quamvis sæpe refutata sit, eam nihilominus semper usque ad nauseam ipsi obrudunt ad incautos decipiendos. Si qua enim olim pecunia exsolvebatur ad indulgentias lucrandas, hæc non exigebatur ut indulgentiarum pretium, sed tanquam conditio perinde ac cetera pia opera, cum non nisi in pios usus converteretur (2). Haud inficiamus nec

bunali di penitenza pressochè tutti i di; frequentate le vie, che mettevano alle quattro chiese tra se distanti da visitarsi quindici volte, e frequentate sulle ore prime del giorno, e non solamente dagli artieri, e dalla plebea gente, ma da persone signorili e da cavalieri e dame di primo rango, a piedi, in abito dimesso, e tutti composti a modestia; il sacerdote in somma ed il popolo, il vecchio e il giovine, il povero ed il ricco, le persone private e i corpi pubblici erano compresi da una santa gara di distinguersi in operi di pietà e penitenza, e spiranti compunzione e fervore. Trionfo proprio a quell' epoca avventurata in Milano la fede, la speranza e la carità; sembravano tornati i santi giorni di Carlo; ed il libertinaggio e l' incredulità, che pur trovò modo e verso di contaminare quelle già monde contrade, si morse per rabbia le labbra e si nascose». Cf. *Sermoni istruttivi di un vecchio parroco della Toscana*. Serm. IX. Nec dissimile spectaculum, imo longe sul limine Roma præbuit, attenta urbis majestate et amplitudine, in jubileo quod sub Leone XII. s. m. in ea celebratum est, cujus ipse testis fuit. Si hæc porro cum orgiis conferantur quæ superioribus annis exhibuerunt protestantes in celebratione jubilei, seu centeni ejusque anni reformationis, id est, defectionis a vera Christi Ecclesia, patebit tanquam inter se pugnantia plane differre.

(1) Recte Petrus Ballerinius, op. cit. cap. 2. § 13. «Tantum abest, scribit, ut penitentia spiritum relaxent hodiernæ indulgentiæ, quia promovent potius: hocque sane consilio, ut illum promoveant, a pontificibus impertiuntur, ut liquet ex Bullis ipsis jubilei, in quibus digni penitentia fructus ex evangelico præcepto commendantur, et ad eos edendos invitantur fideles: atque ut *hos salutare penitentia fructus promptius proferant, plenariam indulgentiam concedimus*, inquit s. Pius V. in Bulla an. 1566. quibus similia alii pontifices ingerunt. Itaque si semper quidam indulgentiarum usus utilis et salutaris fuit, nunc certe, cum penitentiam adeo promoveant, utilissimus et maxime salutaris haberi debet».

(2) Nunquam ostendunt Ecclesiæ catholice hostes datas fuisse indulgentias a romanis pontificibus ut inde lucrum

paucos nec leves abusus ex parte quæstuariorum irrepisse; verum hi abusus istis, non autem romanis pontificibus, qui perpetuo eos accerrime damnarunt (1), adscribendi sunt. Cum denique ex Tridentino quæstorum officium abolitum sit, ac turpes omnes quæstus sublatis, in quem finem has querelas adhuc movent hæretici et increduli, nonne hoc est umbras consecrari?

Ad 7. D. Quoad eos, qui seipsos decipientes hanc petram scandali quærunt quam sibi ipsi confingunt, C. quoad reliquos omnes N. Sibi propterea iniqui imputare debent si scandalum inveniunt in eo quod ædificationem parit. Ceterum veritatis vi compulsi non pauci adversarii hanc difficultatem jam deseruerunt (2). Quod vero dicitur de formula *a culpa et pœna*, uti ostendit Benedictus XIV., non romanis pontificibus, qui eam improbarunt atque aperte rejecerunt, sed « præteritorum seculorum quæstoribus tribui debet » (3).

Ad 8. N. Sed jure potius affirmamus juxta dicta esse indulgentias redemptionis extensivas.

Ad 9. N. Hæc iterum calumnia est, quæ ex experientia dissolvitur. Certe qui hæc nobis objicit, quique propterea a lucrandis indulgentiis alienus erat, non se præbuit omnium virtutum exemplar. Ast aliud est stylum oratorium acuire, aliud vero virtutem consecrari (4).

PROPOSITIO II. — *Indulgentiæ hominem liberant a pœna reatu non solum coram Ecclesia, sed etiam coram Deo.*

Fidei proximam esse hanc propositionem constat ex diversis propositionibus censura notatis; ac 1. ex

referrent, seu exactam fuisse pecuniam tanquam indulgentiarum pretium. Pecunia quæ interdum erogabatur a fidelibus ad obtinendas indulgentias ad usus pios convertebatur. Medio præsertim ævo ingentem utilitatem pepererunt ejusmodi elargitiones, ad bellum nempe in Turcas, qui perpetuo Europæ, et Italiæ præsertim cervicibus jugum minabantur; ad pontium, viarum, etc. refectionem ac constructionem; ad templorum, hospitalium, orphanotrophorum, etc. erectionem, et dotationem; ad puellarum, maleque nuptiarum subventionem, etc. etc. de quibus Cf. Amort., op. cit. p. 1. sect. 6. 7. adeo ut merito concludat eruditus Scotti *Problemi di politica cristiana*, Napoli 1850. vol. 1. part. 2. *Teorema II.* ipsam politicam societatem innumeras prope utilitates exinde percepisse. Nec omittendum non nisi paucas admodum fuisse indulgentias sub hac conditione concessas, si comparentur cum aliis, quæ ob opera seu exercitia mere spiritualia conferebantur. Attamen ut hæretici et increduli invidiam conflent in indulgentiarum largitionem ingeminare apud imperitos adhuc pergunt in Ecclesia Romana vendi indulgentias! *sinite illos, cæci sunt et duces cæcorum.*

(1) Cf. Christ. Lupum Diss. cit. cap. 5. et 4. necnon Amort. p. 2. sect. 1.

(2) Ut patet ex verbis quæ adduximus ex Sismondi.

(3) *De synodo Diocæs.* lib. xiii. cap. 18. § 7. ubi plura scitu digna reperiuntur. Audiendus proinde non est Morinus dum lib. x. *de penit.* cap. 22. contrarium suadere nititur. Nec sane quod sibi propositum argumenta, quæ affert, evincunt. Cum *peccati* nomen passim usurpetur ad significandum pœnæ reatum, hoc sensu intelligi debent ille formulæ quibus dicitur per indulgentias *remitti peccata*, aut *tertiam partem peccatorum*, tum etiam quæ Romæ interdum antiquæ invisuntur formulæ, e. g., *concedi remissionem omnium peccatorum visitantibus talem Ecclesiam*, uti legitur in Ecclesia s. Laurentii extra muros, etc. nempe *pœnam peccatis debitam* rite dispositis, ut exposuimus.

(4) Quam leyem, mendacem, ac pessimam fidei esse ex-

art. XIX. Lutheri a Leone X. confixio: «Indulgentiæ his, qui veraciter eas consequuntur non valent ad remissionem pœnæ pro peccatis actualibus debita apud divinam justitiam (1); » 2. ex propos. XL. synodi Pistoriensis asserente: «Indulgentiam secundum suam præcisam notionem aliud non esse quam remissionem partis ejus penitentia, quæ per canones statuta erat peccanti; » quæ propositio sic intellecta: «quasi indulgentia præter nudam remissionem pœnæ canonice, non etiam valeat ad remissionem pœnæ temporalis pro peccatis actualibus debita apud divinam justitiam » a Pio VI. in Const. *Auctorem fidei* declaratur et proscribitur ut *falsa, temeraria, Christi meritis injuriosa, ac dudum in art. 19. Lutheri damnata*. Hanc eandem doctrinam pseudo-synodi nonnulli theologi Ecclesiæ perturbatores suam fecerunt (2).

Apertam doctrinæ catholice veritatem ita invictissime ostendimus: Indulgentiæ vere hominem liberant a reatu pœnæ non solum in foro externo coram Ecclesia, sed etiam in foro interno coram Deo, si divinitus in eum finem Ecclesiæ concessa sit eas dispensandi facultas; si talis perpetuus fuit patrum et Ecclesiæ catholice sensus in iis dispensandis; si denique ipsa indulgentiarum natura id exposcat. Atqui.

Jam vero facultatem concedendi indulgentias divinitus Ecclesiæ datam esse ad remittendas coram Deo pœnas temporales peccatis actualibus debitas pronum est inferre ex iis quæ superiori propositione attulimus. Descendit enim hæc facultas, ut vidimus, ex potestate clavium et quidem illimitata ad tollenda impedimenta ab ingressu regni cælorum, cujusmodi pœnæ reatus est; ex potestate ligandi et solvendi coram Deo, ita ut ratum habeatur *in cælis* quod ejusdem potestatis vi ligatum aut solutum fuerit *in terris*. Rursum Apostolus proficitur se donasse Corinthi incestuoso penitentia partem *in persona Christi*, ac propterea auctoritate divina, et præcisè illius penitentia partem donasse, qua obstrictus erga Deum tenebatur: «Ut spiritus salvus sit in die D. N. J. C.» (3).

hüberit Gioja adeo ab incredulis commendatus in novo suo Galateo quisque intelliget qui veors omnino non sit. Soli stulti his libellis decipiuntur.

(1) Apud Harduin. *Acta Conc.* tom. ix. col. 1894. ubi tamen hic articulus ponitur sub. n. 15.

(2) Inter hos eminent Vincentius Palmieri, qui prævit synodo Pistoriensis in *Trattato storico-dogmatico-critico delle indulgenze*. Prato 1787. Hic tractatus ex decreto Congreg. sub die 31 Mart. 1788. approbato a Pio VI. in indice librorum prohibitorum relatus est. Verum quem *Roma proscripsit*, ut cum s. Hieronymo loquar, *et probaverunt solenniter Pistoriensis*. Scripsit adversus Palmieri P. Jo. Joseph Ferrari min. convent. *Istruzione sopra le indulgenze*, præcipue vero Alf. Muzzarelli in op. *il buon uso della logica, opusc. Trigesimo, valore delle indulgenze*. Pereira de Figueiredo, in opere lusitanice conscripto, *Analysis professionis fidei sancti patris Pii IV.* Ulyssipone an. 1791. quod an. sequenti Neapoli italice prodit, catholicam pariter doctrinam de indulgentiis impugnavit; proscriptam autem est decr. 26. Jan. 1795. Adversus Pereira cf. *Lettera di un teologo ad un suo amico*. Bologna 1795. necnon *supplemento al giornale ecclesiastico di Roma* quint. V. per 1 mesi di Settembre e Ottobre 1792.

(3) Illud in *persona Christi* gr. in *apostolice Xpianæ* Erasmus nullo exemplo innixus vertit in *conspetu Christi*. At cer-

Talem præterea perpetuum fuisse patrum et Ecclesiæ catholice sensum in concedendis indulgentiis luculenter patet 1. ex formula qua feria V. in *Cæna Domini* ab episcopo fidelibus penitentia relaxabatur, quæque adhuc legitur in Ordine romano: «Deus humani generis conditor et reformator... agrosce oves tuæ redemptionis, et *constrictas vinculis peccatorum* Ecclesiæ tuæ precibus exoratus absolve » (1); 2. ex persuasione catholice Ecclesiæ meritis Christi et satisfactionibus sanctorum MM. remitti peccata, seu pœnas peccatis debitas, ob quam Tertullianus jam montanista Ecclesiam acriter arguit lib. *de Pudicitia* cap. ult. quod mœchis nempe tribueret veniam, sic enim scribit: «At tu jam et in martyres tuos effundis hanc potestatem. Quis permittit homini donare, quæ Deo reservanda sunt? Sufficiat martyri propria delicta purgasse... quis alienam mortem solvit, nisi solus Filius Dei?» Hujus pariter totius populi carthaginiensis persuasionis, de obtenta scilicet per libellos martyrum pace *in cælis*, testis est locupletissimus clerus romanus, in epistola XXX. ad s. Cyprianum (2); 3. demum constat ex apertis s. Cypriani testimoniis in quibus s. Martyr affirmat relaxationem penitentia publicæ quæ ad preces martyrum concedebatur apud Deum valere; sic enim loquitur epist. XII: «Occurrendum puto fratribus nostris; ut qui libellos a martyribus acceperunt, et prærogativa eorum *apud Deum* juvari possunt, » et alibi passim (*Apud citt. AA.*). Et hæc de Patrum et Ecclesiæ sensu quoad priora secula, ad subsequencia enim quod attinet, neque ipsi adversarii talem fuisse dissentunt.

Ipsam denique indulgentiæ naturam id exposcere constat ex eo, quod cum Ecclesia quempiam ob peccata ligat penitentia, quas ei juxta potestatem sibi a Christo traditam injungit, liget ipsum reipsa coram Deo, ergo et coram Deo eum solvit cum eidem vel omnem vel partem saltem hujus penitentia relaxat. Ut enim ostendit Sirmondus, omnis penitentia proposita sibi habet veniam, publica vero penitentia veniam simul et exemplum. Si igitur omnis penitentia hoc proprium habet, expiationem scilicet abolitionemque peccatorum, necessario sequitur ut non

tum est tantumdem valere *in persona Christi*, ac in nomine, vice et auctoritate Christi: cujus scilicet personam Paulus gerat; ut sicut *in nomine Domini Jesu Christi* tradiderat hunc incestum hominem Satanae, quemadmodum dicit in prioribus epist. cap. 3. sic in ejusdem Christi nomine ac persona nunc eum absolveret. Quare non modo hunc locum ita legunt atque exponunt veteres omnes latini patres et expositores, adductis in hujus expositionis confirmationem Christi verbis: *quæcumque solveritis*, etc. verum etiam patres et expositores greci Theodoretus, s. Joan. Chrysostomus, Theophylactus et Oecumenius. Cf. Estium in c. 2. ep. n. ad Cor.

(1) Alias ejusmodi orationes cf. *ibid.* loc. cit. pag. 684. seq.

(2) Lapsi enim qui intempestivam indulgentiam exposcebant ex communi receptaque persuasionem jactabant se pœnem consecutos non tam ab hominibus quam a Deo ipso; nam «pacem, ibi legitur, non tam peterebant quam vindicarent, imo jam *et in cælis* habere se dicebant.» Cf. Lupum Diss. cit. cap. 1. Necnon Eus. Amort. op. cit. tum part. 1. Dissert. prælim. § 5. tum ib. sect. 1. *Indulgentia* u. et seqq. cf. præterea Petr. Ballerinius *Prælect. cit.* § 2. n. 10. seqq. a quibus luculentissima testimonia congeruntur, quæ hanc veritatem adstruunt.